Vch 4
01
A
6644

Tomus XIII
Miscellaneor. Biblioq.

TESTAMENTUM DAVIDICUM,

Sive

ULTIMORUM VERBORUM DAVIDIS

II. Samuelis XXIII. 1. seqq.

SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.

DISPUTATIO III.

Exhibens ἐξήγησιν versiculi 4. & 5.

Quam

In Inclutâ Academiâ VVittebergensi

PRÆSIDE

JOHAN. ANDREA QUENSTEDT

SS. THEOL. D. & Prof. Extr.

Domino Præceptore, Patrono, Philothecario q. suo sempiternè suspiciendo

In auditorio publico Collegii Veteris

placidæ ventilationi subjicit

Ad diem Novembr. horis matutinis

CHRISTOPHORUS VVEISSIUS

Hollandino-Prutenus.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO cIↃ IↃ CLV.

Ad Pereximium ac Eruditè doctum Dominum
Respondentem, amicum singularem.

ULtima Davidis ceu cedro digna merentur
Laudibus æternis celebrari verba, meretur
Sic multas laudes, totus qui semper in istud
Incumbit, dignum ut qvod multâ laude sequatur.
WEISSI *noster amor*, Tu multâ laude mereris
Mactari, semper, qvia Tu, doctissime WEISSI,
Qvod dignum laude est, sectaris. Fausta precamur.

JOHANNES ANDREAS QUENSTED, D.
PRÆSES.

Nocturnis ecquid juvat impallescere chartis,
Ora magis quod si marmore dura geras?
Nil, nisi certa tuæ dederis documenta profundæ
Doctrinæ, veræ laudis habere meres.
Hic bonitate suâ laudatur, fœnore largo
Qui commissa sibi semina reddit ager.
Nocturnâ volvisse manu, volvisse diurnâ
Esse putare satis Biblia sacra fuge.
Hic Rhodus, hîc saltus! nunc est occasio, WEISSI,
Ingenij vires explicuisse Tibi.
Pulpita QVENSTADIO duce dum resonare Lycéi
Ultima Davidis verba docere datur.
Scilicet ingenij felicis vivida virtus,
Supposita ut cineri flamma, latere nequit.
Laudo Tuum studium, voveo qvoqve pectore toto,
Hæc ut fortunet cœpta probanda DEus.
Ille Tuis tandem variis TE dotibus auctum
Ingenii salvum reddat & incolumem.

Præstantissimo, Doctissimoqve DN. RESPONDENTI,
Amico Suo multùm dilecto L. M. Q.
apposuit
Jacobus Feldtner Thoruniô Prussus.

Dactylisches Sonnet.

Allezeit ist der beliebte Nahme
Edelster Weißheit gewesen geehrt/
Also das dero fruchtbringender Saame
Nimmermehr bleiben beliegen im Krahme/
Wo man bemüht ist zu werden gelehrt/
Wo man erkauffet/was Klugheit vermehrt/
Da den berühmtesten Männern herkahme/
Daß man den Nach-Ruhm von ihnen noch hört.
Bruder du zeigest dich gleichfals geflissen/
Ehrenverliebet die Weisheit zu küssen/
Willens derselben nachzuschätzlichen wehrt
Gleichfals zu werben durch jetzige probe/
Werbe so ferner/ es dient dir zum lobe
Dir ist das Kleinod gleich andern beschehrt.

Setzet Seinem liebsten Herren Oheimb und Stubengesellen

Johann Wilhelm Feintel auß Preussen.

Wer etwas höher kommen
Wil/ als der Pöbel thut/
Der an der Erden ruht/
Wird dann erst auffgenommen/
Wann er der weisen Welt
Sich hin zum Vrtheil stellt.

Auff die gelehrte Probe
Beliebt ihm auch Herr WEIS
Zu setzen seinen Fleiß;
Man sieht/ Er strebt nach Lobe/
Das mit gewogenheit
Ihm auch die Hand schon beut.

Dieses schrieb seinen vielgeliebten und hochgeehrten Herren Stubengesellen

Joachim Friderich Salmsdorff von Acken aus Sachsen.

EXPLICAT. VERB. ULT. DAVID.

II. SAM. XXIII. 1. seqq.

Vers. IV. & V.

TH. I.

HActenus David Spiritu DEI plenus magnificis & (ut rationi videri posset) penè superfluis verbis, qvod verè ait Φωσπὴς Theologorum, B. Lutherus libro de Judæis & eorum mendacijs Tom. VII. Witteb. Latin. fol. 183. inculcavit; *Spiritum* JEHOVÆ *per ipsum esse loqvutum, & sermonem ejus per linguam ipsius esse factum*; DEUM *Israelis ipsi dixisse*; *locutum esse Zur, petram, fortem, potentem Israelis*; &c. ut scil. universum quasi mundum, omnemq; posteritatem ad audiendum & auscultandum invitaret. q. d. inqvit dicto loco Lutherus; *Audite, audite, qui aures habet audiendi, audiat. Hic* DEus *est qvi loqvitur, audite tamen* &c. jam porrò vers. 4. & 5. summatim exponit ac elegante simili illustrat & declarat â Sacrosancto & Divino Venerandæ Trinitatis Concilio sibi datas amplissimas firmissimasq; promissiones de Messiâ, ejusque Regno spirituali, feliciſſimo, saluberrimo ac nunqvam finiendo. Verba Sancti textus ita habent;

Disputat. III. publica, Respond. Christoph. Weissio Hollandino-Prutено.

וּכְאוֹר בֹּקֶר יִזְרַח־שֶׁמֶשׁ בֹּקֶר לֹא עֲבוֹת מִנֹּגַהּ מִמָּטָר דֶּשֶׁא מֵאָרֶץ׃ 4.v. כִּי־לֹא כֵן בֵּיתִי עִם־אֵל כְּרִית עוֹלָם שָׂם לִי עֲרוּכָה בַכֹּל וּשְׁמֻרָה כִּי־כָל־יִשְׁעִי וְכָל־חֵפֶץ כִּי־לֹא יַצְמִיחַ Chaldæus ita Φαφάζει; *Beati eritis*

vos justi; feciſtis vobis facta bona, qvia vos futuri eſtis, ut luceatis in luce gloriæ veſtræ ſicut ſplendor auroræ, qui ambulat & conſtat: & ſicut Sol qui ſplendet absq; nubibus in ſplendore gloriæ ſuæ. Ecce ſicut ager, qui exſpectat in annis ſiccitatis, ut deſcendat pluvia ſuper terram &c. LXX. Interpp. ita; v. 4. καὶ ὡς φῶς τὸ πρωϊνὸν ἀνατελεῖ ἥλιος τὸ πρωὶ καὶ ὑ σκοτάσει, ἀπὸ φέγγους καὶ ἐξ ὑετῦ ὡς βοτάνη ἐκ γῆς v. 5. ὅτι ὄχ ὕτως ὁ ὶκός μυ μετὰ θεῦ, ὅτι διαθήκην αἰώνιον ἔθετό μοι σῶσαι με ἑτοίμην ἐν παντὶ καιρῷ πεφυλαγμένην, ὅτι πᾶσα σωτηρία μυ καὶ πᾶν θέλημα ἐν κυρίῳ, ὃν ὑ μὴ βλαςήσει. Vulgatus ſic habet; verſ. 4. *Sicut lux auroræ oriente ſole, mane absq; nubibus rutilat, & ſicut pluviis germinat herba de terrâ. 5. Nec tanta eſt domus mea apud* DEUM, *ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atq; munitum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas, nec eſt qvicqvam ex eâ, qvod non germinet.* Santes Pagninus ſic reddit Hebræa; *Et ſicut lux matutina orietur Sol: mane absq; nubibus â ſplendore, â pluviâ herba de terrâ. Quia non ſic domus mea cum* DEO, *quia pactum æternum poſuit mihi, ritè diſpoſitum in omnibus & cuſtoditum, quoniam cuncta ſalus mea & omnis voluntas, qui a non germinare faciet.* Arias Montanus nihil hîc mutat, niſi quod pro eo (absq; nubibus) verſu 4. ponit *non denſitates* & pro herbâ *germen*, itemq; v. 5. pro pacto æterno *pactum ſeculi.* Leo Judæ ſic effert; *Et ſicut lux matutæ, qvum Sol oritur, matutæ inquam qvæ non habet nubes præ fulgore ſuo, propter pluviam videlicet, qvæ herbam è terrâ (elicit.) Non inquam ſic erit domus mea cum* DEO, *qvoniam fœdus perpetuum pepigit mecum, qvod per omnia ordinatum eſt & ſervatũ: qvandoqvidem omnis ſalus mea & omnis voluntas (firma eſt)*

est) *neq; ut* (*germen*) *crescit.* Junius & Tremellius ita; *Et* erunt, *ut qvum lucente mane oritur Sol: ut mane non nubilo herba tenera ê terrâ* existit *â splendore post pluviam. Quamvis non sit* ita *domus mea ergà* DEUM *fortem*: *quandoquidem fœdus perpetuum disposuit mihi, ordinatum* perstat *in* rebus *omnibus atq; conservatum, qvum tota salus mea, totumq; desiderium* sit, *quando non facit, ut pullulet.* Ludovicus de Dieu animadvers. in h. l. ita reddit; *Et sicut luce matutinâ oritur Sol;* sicut *tempus matutinum* est *absq; nubibus, præ splendore:* sicut *ê pluviâ* existit *herba tenera ê terrâ. Utiq; non sic* est *domus mea apud* DEUM; *quia fœdus æternum posuit mihi, dispositum in omnibus & custoditum: etsi omnem salutem meam & omnem voluntatem, etsi,* inqvam, *progerminare non faciat* vel, *utiq; progerminare non faciat.* Germanica deniq; Lutheri versio sic habet; **Vnd wie das Liecht des Morgens/ wenn die Sonne auffgehet/ des morgens ohne Wolcken/ da vom Glantz nach dem Regen/ das Graß auß der Erden wächst/ denn mein Hauß ist nicht also bey Gott/ denn Er hat mir einen Bund gesetzet/ der ewig/ und alles wol geordnet und gehalten wird/ denn all mein Heil und Thun ist/ das nichts wächst.**

II. Inter loca Scripturæ, qvæ obscura, δυσνόητα, intellectu difficilia sunt, est etiam hic noster, qvem linguâ originali, Chaldaicâ, Græcâ, alijsq; varijs versionibus proposuimus. De eo ita scribit modò citatus Ludovicus de Dieu l. all. *Est hic ex difficillimis Scripturæ locis.* item; *Libet tamen & nostram in obscurissimum hunc locum sententiam eruditis expendendam proferre* &c. Et Francisc. Vatablus in annotat. in h. l. inquit; *Concisus sermo obscurum locum reddit.* Aſt cum

magnæ utilitatis sit ipsa obscuritas eloquiorum DEI, teste Gregorio Magno Homil. VI. in Ezech. *qvia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, qvod capere non potest otiosus.* Et qvia, eodem asserente, *Scripturæ Sacræ intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilescеret. In qvibusdam locis obscurioribus tantò majore dulcedine inventa reficit, qvantò majore labore fatigat animam qvæsita.* Non recusabimus igitur hisce mysteriorum DEI profunditatibus nos immergere, devoto pectore orantes benignissimum Numen, ut suâ nos juvare gratiâ velit, ut emergere queamus!

III. Prius autem quàm sensum verborum legitimum eruamus, *oportet ipsas voces, earumq; usum cognoscere, quo sæpe numero provehimur in rei perceptionem*, docente Jul. Cæs. Scaligero Exercit. I. ad Cardanum sect. I.

IV. כ nota similitudinis est vers. 4. in voce כְּאוֹר, estq; primaria hujus particulæ significatio, *sicut*, unde & *Caph similitudinis* Hebræis dicitur, vide Dn. D. Glassium Lib. IV. Grammat. S. tract. I. observ. III. Aliqvandò pro reipsâ ponitur & per *verè* aut *revera* exponitur, & hinc Grammatici vocant *Caph.* ἀληθινὸν, eò quòd non similitudinem sed rei veritatem indicet, qvemadmodum ὡς apud Græcos sæpè loco ὄντως adhibetur, vide Tarnovium Comm. in Obadiæ vers. 11. pag. 21. Rivetum Comm. in Hoseæ cap. V. v. 10. parte II. Operum pag. 632. a. אוֹר Græcè φῶς, Latinè *Lux, lumen*, varia notat in Sacris Literis: I. *Lucem primigeniam*, Gen. I. 3. II. Cor. IV. 6. II. *Solem*, publicum illum autorem luminis, qui per orbem universum lucis suæ vim ac radios diffundit, & in principio Geneseos

seos הַמָּאוֹר הַגָּדֹל *luminare magnum* vel *majus* dicitur, Jobi XXXI. 26. alibi. III. *DEum*, qvi solus est lux vera, nec tenebræ sunt in eo, ut appositè loquitur dilectus JEsu discipulus & Evangelista Johannes I. Epist. I. 5. *φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον*, *Lucem habitans inaccessibilem* I. Timoth. VI. 16. *αὐτοφῶς*, ut eleganter Græci Patres enunciarunt. IV. *Filium DEI* seu *Christum*, qvi lux magna Es. IX. 2. Lux gentium cap. XLII. 7. Lux sempiterna cap. LX. 19. Lux hominum, Lux in tenebris, Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum Joh. I. 4. 9. Lux mundi, qvam qui sequitur, non ambulat in tenebris Joh. VIII. 12. cap. IX. 5. Lux vitæ Joh. VIII. 12. &c. V. *Verbum DEI*, qvod appellatur Lux itineris nostri, qvia dirigit nos in omnibus actionibus nostris Psalm. CXIX. 105. Lucerna lucens in loco caliginoso II. Petr. I. 19. VI. *Apostolos*, qvi dicuntur Lux mundi Matth. V. 14. Emissenus: *Quod Sol & Luna præstant corpori, hoc Apostoli & Doctores præstant animæ, illi illuminant oculos mentis. Sunt igitur Lux mundi, qvia majorem & meliorem Mundi partem illuminant.* VII. *Fideles Christo adhærentes*, qui vocantur Lux in Domino & filij Lucis Ephes. V. 8. confer Phil. II. 15. VIII. *Salutarem DEI cognitionem* Esa. LX. 3. Actor. XXVI. 18. I. Petr. II. 9. I. Joh. II. 8. 9. IX. *Vitam Christianam.* Matth. V. 16. X. *Prosperitatem & statum felicem*, sicut contra tenebræ de rebus infelicibus dicuntur Jobi XXX. 26.

V. בֹּקֶר יְזָרַח־שֶׁמֶשׁ) בֹּקֶר *mane, diluculum*, sive *principum diei* denotat. Dicitur autem בֹּקֶר â verbo בָּקַר qvod significat, *inquirere, disqvirere, discernere*,

qvod ſcil. ad inqvirendas & diſcernendas res ſit idoneum, ſicut contra עֶרֶב *veſpera*, â verbo עָרַב, qvod *miſcere* notat, deducitur, quod tunc rerum facies, vel ut alij volunt, lux & tenebræ miſceantur. יִזְרַח *orietur* â radice זָרַח *ortus, exortus eſt, effulſit.* Propriè dicitur de ortu Solis & diei, qui exoriens ſpargit & fundit radios fulgentes & ſplendentes. שֶׁמֶשׁ *Solem* ſignificat, planetam illum nobiliſſimum, ſic dictum, qvod in adminiſtrando lumine totius mundi miniſter ſit, ut inquit Buxtorfius in Lexico. Eſt Sol in cœlis velut *rex reliqvorum ſiderum*, cujus alia eſt claritas, qvàm Lunæ & ſtellarum, docente Apoſtolo I. Cor. XV. 41. Nihil in toto animalium corpore oculorum pulchritudinem & præſtantiam exæqvat; Solem, principem cœli lucem, *mundi oculum* aptiſſimè vocant Philoſophi, quam ſimilitudinem eleganter expreſſit Ovidius Metam. IV. *Omnia qui video, per qvem videt omnia tellus, mundi oculus.* Anaxagoras Solem dicebat *lapidem pretioſum in cœlo lucentem.* Et certè cum aſtra ſint lux conglobata, ſunt etiam inſtar gemmarum, qvas inter Sol eſt velut pyropus aut carbunculus. Sol calore ſuo viventia omnia fovet & conſervat, qvâ ratione â nonnullis dictus eſt *cor cœli*, uti cor noſtrum Sol corporis, item, *communis omnium rerum parens, qvæ naſcuntur in terrâ & in mari.* Vide Rivetum Comment. in Pſal. XIX. Solem *omnium ignium ac luminum fontem* appellat Lucretius poëta Lib. V. Nam ſicut uno ex fonte oppidani omnes aqvam hauriunt, nunquam exhauriunt: ita Sol (inqvit egregiè diſertiſſimus ſcriptor, Plutarchus,) cum res omnes luce repleat, ipſe luce nunquam expletur. Nullum æqvè ſidus,

ut

ut Solis jubar, DEI majestatem attestatur & declarat. Hinc non immeritò dicit jam laudatus Plutarchus, *duo esse æterni Numinis simulacra, in terris Regem, in cœlo Solem.*

VI. בֹּקֶר לֹא עֲבוֹת מִנֹּגַהּ מִמָּטָר) *mane absq; nubibus â splendore, â pluviâ.* עֲבֹה *densitas nubis* (inqvit Avenarius in Lexico) *legitur tantum pluraliter bis* Psal. LXXVII. v. antep. *Diffluxerunt aquæ densæ, vocem dederunt* עֲבוֹת *nubes*, & II. Samuel. XXIII. 4. *Mane absq; densitatibus* &c. *Matutina nubes* proverbio locum dedit, quo significatur res statim evanescens, sive, quæ nihil habet soliditatis aut constantiæ Hoseæ VI. 4. *Misericordia vestra ut nubes matutina & tanqvam ros mane vadens.* i. e. Misericordia, quâ utimini in egentes proximos, seu beneficentia vestra, parum durat sive non pluris facienda est, quàm nubecula, qvæ citò transit, aut ros, superficiem terræ humectans, qvi citò â calore Solis desiccatur. Qui misericordiam hìc non activè sed passivè, sumunt, deq; gratuitâ peccatorum condonatione accipiunt, aliter explicant. Vide Gesn. in h. l. Et cap. XIII. 3. *Idcircò erunt* (Israelitæ) *veluti nubes matutina*, quæ, etsi videatur promittere imbrē, dum se latè extendit, tamen orto sole statim dissipatur, nullo effectu edito, ut explicat Tarnovius Comment. in h. l. נֹגַהּ *splendorem & fulgorem* notat; sic Ps. XVIII. 13. מִנֹּגַהּ *â splendore præsentiæ ejus nubes pertransierunt.* Radix est נָגַהּ *splenduit.* מָטָר *est pluvia matura, fœcunda, commoda*, quippe qvæ tempestivè descendit & maturat segetes, ut celerius crescant, seu ad maturitatem properent. Psalm. CXLVII. 8. *Qui operit*

rit cœlos nubibus, qui parat terræ מָטָר *pluviam.* In quem locum Lorinus Jesuita ; *Pluviæ patrem* inquit, Job cap. XXXVIII. 28. DEum nominat, qvasi peculiarem ipsius autorem. Docet etiam *ligari ab eo aquas in nubibus* (*colligari* Sapiens ait Proverb. XXX. 4. *quasi in vestimento*) *ut non erumpant pariter deorsum.* cap. XXVI. 8. item cap. XII. 15. *Si contineret aquas, omnia siccanda, si emitteret, subvertendam terram.* Clavem pluviæ in unius DEI manu cum clave cibationis, sepulchrorum, sterilitatis Paraphrastes Jerosolymitanus in Gen. cap. 30. constituit. Hæc ille. Vide ibidem in rem hanc plura.

VII. דֶּשֶׁא מֵאָרֶץ) *herba de terrâ* דֶּשֶׁא *herbam, germen* significat, inter דֶּשֶׁא verò & עֵשֶׂב hoc discrimen ponit R. Salomon Jarchi, quod scil. illud sit nomen generale, denotans herbarum multitudinem, qva veluti veste totus aliquis campus induitur, quod *viretum* dicere possumus. Hoc autem speciatim de qvavis herbâ singulari dicatur. Idem sentit doctissimus Christianorum Rabbi Buxtorfius. Alij per דֶּשֶׁא herbas insativas & spontè nascentes intelligunt, per עֵשֶׂב verò herbas sativas & culturâ provenientes. Pagninus autem ex R. David דֶּשֶׁא herbam teneram dici putat, cum jam germinare incipit & è terrâ egredi, עֵשֶׂב verò eandem dici, cum jam adoleverit. Et hisce adstipulantur Schindlerus & Avenarius, qvorum hic inquit, דֶּשֶׁא *progerminavit, pullulavit, produxit herbam tenellam, emisit gramen, hinc* דֶּשֶׁא *germen tenerrimum, quod recens oritur, antequam crescat in caulem. At* עֵשֶׂב *est herba paulò grandior,* & חָצִיר *gramen, quod demeti potest.* Hinc Tremellius & Piscator,

ſcator in ſuis verſionibus, דֶּשֶׁא per herbulam ſeu teneram herbam, עֵשֶׂב verò per herbam reddunt. De Etymologiâ vocis אֶרֶץ vide Hottingerum Theſauro Philol. Lib. I. cap. 2. ſect. 6. num. 6. p. 234. Tarnovium Comm. in cap. II. Threnor. v. 1. p. 79. alios. Cæterum הָאֲדָמָה & אֶרֶץ terram notant, ſed prius nomen ſignificat terram, quæ colitur, in quâ ſunt arbores & alii fructus ad vitam utiles, poſterius verò ſignificat omnem terram, cultam & incultam, ut obſervat B. Lutherus Comm. in cap. IV. Gen. אֶרֶץ terra *eſt nomen generaliſſimum*, inqvit Avenarius, *comprehendens omnes ſpecies terræ & per Synecdochen ponitur pro hominibus in terrâ verſantibus.* Et Rivetus Exercit. XVI. in cap. II. Geneſ. v. 7. inqvit; *Eſt autem* אדמה *terra rubra, quæ eò differt ab* ארץ *toto illo elemento, cujus pars eſt* Adamah. Interdum tamen vox ארץ *terra*, qvando abſolutè & ſimpliciter ponitur, terram Iſraëlis notare ſolet. Vide Antonium Hulſium Theolog. Judaicæ parte I. de Adventu Meſſiæ pag. 87.

VIII. Verſ. 5. כִּי־לֹא־כֵן בֵּיתִי עִם־אֵל *Quia non ſic domus mea cum DEO.* Hic incipit alterum comparationis membrum, teſte כֵּן ἀποδοτικῷ. Particulam כִּי, qvæ qvater occurrit in hoc commate, hoc primo loco pro *utiq;* accipit Ludovicus de Dieu. *Sæpe enim*, inqvit, *eſt non cauſale, ſed confirmativum, ut in illuſtri loco* Gen. XXII. 17. כִּי בָרֵךְ אֲבָרֶכְךָ *ubi* LXX. *habent* ἢ μὴν, *qvod & Paulus allegat Hebr. 6. qvæ non jurandi, ut quidam volunt, ſed confirmandi particula eſt.* Hæc ille. Nomen בַּיִת conſtr. בֵּית propriè ſignificat domum, domicilium, ædes ad habirandum aut commorandum commodas, Impropriè, & qvidem I. omnes

in genere inhabitatores domus, qvicunq; ſint. Hinc Ariſtoteles I. Politicorum cap. II. domum appellat, primam in genere humano ſocietatem inter ὁμοσίτους καὶ ὁμοκάπνους i.e. ejusdem penus & fumi ſocios, qvæ comprehendit cum Patrefamilias, uxorem, liberos, ſervos, ancillas &c. II. in ſpecie familiam, qvæ ex aliqvo originem ducit, ac proinde liberos & poſteritatem alicujus, hoc ſenſu domus Aaronis eſt familia orta ex Aarone, I. Samuel. II. 28. 30. 31. Domus Davidis eſt familia regia, ſanguis & generatio Davidis, paſſim. *Solemne eſt*, inqvit Rivetus in Exod. cap. I. v. 1. *in Scripturâ, domum accipi pro ſobole, unde filii* בנים *dicuntur, quia ſunt velut ædificium parentis, ſic Rachael & Lea* ædificaſſe domum Iſraëlis *dicuntur Ruth* IV. 11. Eodem modo Didacus ſtella in Luc. cap. I. v. 27. ad Locum Exod. I. DEUS ædificavit illis domos. *Aedificare*, inquit, *eſt dare poſteritatem. Quare familia vocatur domus, quia ad modum domus ædificatur, ut in Scriptura multiplicare ſobolem dicitur ædificare domum.* III. Servos & ancillas, ſive familiam ſpecialiſſimè ſic dictam, ſic Gen. L. 4. ſeqq. per בית *domum* ſeu familiam Pharaonis, Joſephi & Jacobi, intelligendi ſunt ſervi Pharaonis, Joſephi & patris ejus, ut ex contextu patet, hinc rectè B. Lutherus in tribus his locis vertit, Geſinde. Vide Franzium tract. de Interpret. Scriptur. Oracul. LII. pag. 487. IV. derivatam â majoribus proſapiam & genus, ſive familiam, ex quâ aliquis oriundus eſt. II. Samuel. III. 29. & alibi ſæpius.

IX. Nomen אֵל, quo DEUM hîc exprimit Hieropſaltes, etſi ab אֱלֹהִים decurtatum nonnulli velint, rectius

ctius tamen alii deducere videntur ab אוּל *fortitudo* vel אוֹל *robur*, Jod vel Vau abscondito. Et ita ratione originis adjectivè significat *fortem, potentem, robustum*, Ezech. XXXI. 11. per antonomasiam verò DEum, qui est אֵל אֵלִים *fortissimus omnium fortium* Daniel XI. 36. Suâ enim fortitudine ac potentiâ DEus non solùm supra omnes creaturas eminet, sed & omnium virtutum & potentiarum in illis fons est & principium. Coccejus Calvinista Comm. in Nahumam ad cap. I. v. 2. p. 338. inquit; *Per vocem* אל *attribuitur DEO Israelis* potentia *omnis, quâ non tantum ipse in se sibi sufficit, sed & verbo potenti suo omnia sistere potest, quæcunq; non repugnat esse & produci â DEO, scil. vel propter meram δύνειαν, ut peccatum, vel propter infinitatem perfectionis, ut Ens actu infinitum; vel propter veritatem DEI, velut factum infectum, corpus ubiq; præsens.* Qvod ultimum, utpote falsissimum, alibi excutitur. LXX. hoc nomen communissimè vertunt θεὸν, *DEum.* Sic qvoq; in N. T. DEI vocabulo redditur, ut Matth. XXVII. 46. ἠλὶ ἠλὶ, τῦτ' ἔστι θεέ μȣ, θεέ μȣ. & cap. I. 23. ἐμμανȣὴλ, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς. Aquila ἐτυμολογίαν ejus exprimens, ἰσχυρὸς i. e. *fortis*, interpretatur, ut scribit Hieronymus. Sunt qui utrumq; conjungunt & אֵל transferunt, *DEus fortis.* Drusius in Commentario priori ad voces Ebraic. N. T. in voce *El* & in Comm. poster. cap. 8. explicationē Eusebii vocis *El* ut accuratiorem laudat, qvi eam abstractivè exponit per *fortitudinem* & *potentiam.* Sic enim primo loco ait; *Si non fallit Eusebius,* אל κατ' ἀκρίβειαν *significat* ἰσχὺν καὶ δύναμιν, *& certè non fallit. Nam ita sumitur hoc nomen cum alibi, tum Proverb.* III, 27. in

altero verò inqvit; *El ad sensum* θεὸς, *ut in verbis Christi*, Eli Eli &c. *ad verbum* δύναμις *aut* ἰσχὺς. Et paulò post; τὸ δὲ ἀκριβὲς, *ut Eusebii verbis utar, qvæ est accuratior hujus vocis explicatio* El *fortitudo & potentia, quo significatu hoc nomen occurrit Proverb.* 3, v. 27. *Michæ* 2. v. 1. *vide Euseb.* ἀποδείξ. *lib.* 10. προπαρασκ. *lib.* 14. Hæc Drusius. Christus Salvator Es. IX. 6. dicitur אֵל גִּבּוֹר *DEus fortis*, vel *DEus, Heros.* Aquila & Symmachus vertunt per ἰσχυρὸς, δυνατὸς. Theodotion per ἰσχυρὸς, δυνάστης. Lutherus abstractivè nomen אֵל hîc reddidit per krafft / *in quo & fortitudinem sive potentiam in absoluto & excellentissimo gradu DEO tribuit & N. T. oraculis respondet* ut ait Doctor noster Dorscheus parte II. Synops. Theol. Zachar. dissert. IV. Loc. II. §. 4. versionis hujus Lutheri vindicem agens adversus Cornelii à Lapide injustam criminationem. Optimè qvoq; se explicat ipse B. Lutherus Comm. in hæc ultim. Verb. David. Tom. IIX. Jenens. Germ. fol. 146. qvando inquit; Esaias nennet ihn auch Gott/denn das Wort El heist wol nach dem Buchstaben/Krafft/aber wenns ein eigen Nahme ist/(wie hie) so heist es Gott/durch die gantze Schrifft/der allein krafft hat/wie das beyde Jüden und Ebraisten bekennen müssen.

X. Cæterum & porrò *quando nomen* אֵל μοναδικῶς sive *in singulari absolutè*, (scil. sine conditione diminuente vel alienante, qvam vocant) *& qvidem substantivè ac concretivè in Scripturis usurpatur, semper & ubiq; verum & omnipotentem DEum designat*, quod è locorum inductione manifestum est, vide Doctorem nostrum Calovium in Articul. I. Aug. Confess. cap. III. de Nomin. DEI §. 135. πληθεντικῶς verò sive *in plurali* itemq;

in

in singulari, sed cum additamento imminuente & alienante, aut *adjectivè* adhibetur vel *de Hominibus*, potentiâ, robore ac fortitudine pollentibus, ut Ezech. XXXI. 11. אֵל גּוֹיִם *fortissimus Gentium*, de rege Babyloniæ. Exodi XV. 15. אֵילֵי מוֹאָב *robusti Moab*, ubi LXX. reddidêre ἄρχοντες, *principes*. Ezech. XVII. 13. אֵילֵי הָאָרֶץ *fortes terræ* LXX. ἡγεμόνοι *Duces* & cap. XXXII. 21. אֵילֵי גִבּוֹרִים *fortes potentium* LXX. γιγάντες, *Gigantes*. Vel *de Angelis*. Refertur huc locus Exodi XV. 11. ubi Moses inqvit; *quis sicut tu* בָּאֵלִם *inter fortissimos Domine*? Sunt enim angeli δυνάμεις Ephes. I. 21. καταχρηστικῶς etiam & impropriè tribuitur *Idolis*, Esa. XLIV. 15. *Etiam operabitur* אֵל Targum *Idolum*, *& adorabit.* In compositione frequens hujus nominis divini usus est in S. Pagina. Multis enim nominibus hominum vel præponitur vel postponitur, v. g. *EL*easar. ELjakim, ELisabeth, IsraEL, ImmanuEL, IsmaEL. Nomina qvoq; Angelorum in *EL* desinunt, ut *MichaEL, GabriEL, RaphaEL, UriEL.* Vide Buxtorfium, Filium Dissertat. de nominibus DEI num. 45.

XI. כִּי בְרִית עוֹלָם שָׂם לִי) *quia pactum æternum posuit mihi.* בְּרִית est *pactum, fœdus.* Vocis hujus Hebrææ originationem qvod concernit, Marcus Marinus in arca Noæ nullam ipsi radicem adsignat. Förster us in Lexico pag. 113. deductum vult â themate בָּרַר qvod ipso tradente significat in lucem producere, secernere, eligere, declarare, expurgare; *ut sic dicantur pacta seu fœdera, quod illis sine omni sophisticâ utring; declaretur, ratificetur q; fides, adhibitâ publicâ ceremoniâ.* Buxtorfius & Schindlerus deducunt â בָּרָא vel כָּרָא,

elegit, ſelegit, delegit, ut בְּרִית ſit res, qvam duo eligunt, ut ad eam ſeſe obſtringant, atq; devinciant certis conditionibus; vel, ut ſit res, qvam duo eligunt, & de qvâ inter ſe conveniunt & mutuò ſpondent. Nonnulli (inter qvos Flacius) dici putant â בָּרָה, qvatenus ſignificat *comedit, manducavit*, item *ſuccidit, ſecavit, mactavit*, vel qvia conviviorum ſolemnitate fœdera qvaſi confirmabantur olim, vel qvia in fœderibus pangendis victimæ cædebantur. *Vocem Hebræam* בְּרִית *deduci â* בָּרָה *quod eſt* ſuccidere, *communis eſt ſententia* (inqvit Rivetus Com. in Gen. cap. VI. Exercit. LIII. pag. 218. b. Tom. I. Oper.) *cujus nominis rationem inde deducunt, qvod in fœdere ſanciendo ferirentur victimæ.* Et hinc qvoq;, qvi alluſionibus delectantur, vocem בְּרִית *berith* dici volunt qvaſi כְּרִית *kerith*, qvod in fœderibus ineundis diſſectione pecorum utebantur. Certè cum verbo כָּרַת i. e. *feriit*, vel *percuſſit* ſœpe conjungitur, ut Devter. V. 2. כָּרַת עִמָּנוּ בְּרִית *pepigit nobiſcum fœdus*. Hoſeæ II. 18. וְכָרַתִי *percutiam eis fœdus*, & alibi paſſim. Latinè etiam dictum fuiſſe fœdus â victimis feriendis Feſtus exiſtimat; *Fœdus*, inqvit, *appellatum ab eo, quod in paciſcendo fœdere hoſtia necaretur.* Ineptè qvodammodò Servius, enarrans illud Virgilii lib. I. Aeneid. Regemq; dedit, qvi fœdere certo &c. *Fœdus*, ait, *dictum eſt vel â fecialibus, per quos fiunt fœdera, vel à porcâ fœdè lacerata.* Neminem, qvi qvidem in Hiſtoriâ ſacrâ & profanâ verſatus eſt, temerè latet, apud omnes ferè Gentes percuſſa antiqvitus fuiſſe fœdera cæſis victimis, ſive ceremoniis feriendarum pecudum. Illuſtre exemplum habemus in illo ſacrificio, qvo DEUS per Moſen fœdus iniit cum univerſo po-

so populo Israelitico, eumq; ad obedientiam legi suæ præstandam obligavit & obstrinxit. Vide illius descriptionem Exod. XXIV. Hinc liqvet apud Israëlitas fœdera inita fuisse atq; sancita sacrificiis, ex qvibus postea instituebatur convivium. Novum qvoq; fœdus sanguine ictum est & consummatum, non brutorum animalium, qvo prius, nempe Vetus, sancitum, sed meliori & pretiosiori, nempe *sanguine Messiæ* Zachar. IX. 11. Hebræos IX. 12. 13. seqq. Et sanguis animalium in confirmationem antiqvi pacti mactatorum præfiguravit αἱματεκχυσίαν, sive *effusionem sanguinis* Christi in arâ crucis, qvam Novum fœdus pro confirmatione sui requirebat ut alibi docetur. De more fœderis pangendi apud Romanos, notetur illud Virgilii lib. VIII. Aeneid. *Stabant, & cæsâ jungebant fœdera porcâ.* Confer Sueton. in Claudio cap. 25. *Apud Græcos verò cæteras q; nationes* (verba sunt JCTI Neapolitani, Alexandri ab Alexandro Genial. Dierum lib. V. cap. III.) *fœderum percutiendorum multimodæ species erant: nam porco, ariete, & tauro immolatis pacis fœdus inire & res repetere solebant.* Vide ibi in rem hanc plura. *Apud Græcos*, inqvit suprà citatus Andreas Rivetus in Genes. cap. XXXI. Exercit. CXXXVI. pag. 528. b. Tom. 1. Oper. *fortasse ex populi DEI imitatione, usitatissimum fuisse*, scil. in feriendo fœdere adhibere sacrificiâ) *præter infinita exempla, indicant phrases communes, ut ὅρκια ταμεῖν, quod idem valet, quod mactatâ hostiâ jurare, seu fœdus sancire. Et apud Homerum Iliad. 3.* Φέρον, ὅρκια πιστά, *id est, ferens illa, qvæ in juramento præstando aut fœdere ineundo erant necessaria.* Hæc ille.

XII. Et

XII. Est autem nomen ברית commune, & in genere significat pactum, qvodcunq; tandem illud sit, qvod etiam fatetur Ribera Comm. ad Hebræos cap. IX. A LXX. Interpr. per διαθήκην vertitur. Aqvilæ & Theodotioni magis placuit vox συνθήκη. Et si Etymon Græcæ vocis διαθήκης spectemus, non tantum pro dispositione, ut sic loqvar, testamentariâ, in qvâ mors Testatoris intervenit, sed & pro qvavis dispositione & Fœderis conventione usurpari potest, unde etiam ad alia fœdera, pactionesve præter testamentaria nomen illud à Græcis Interpretibus fuit translatum. Hinc rectè Hieronymus in Malach. cap. 2. *Notandum*, inqvit, *quod Aquila id* (Hebraicum ברית) *συνθήκην* i. e. *pactum interpretatur*. LXX. *semper* διαθήκην, *i. e. testamentum & in plerisq; Scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viventium*, voce scil. Græcâ in generali significatione sumptâ. Marius Proleg. in S. Scriptur. Sect. 3. qvæst. 2. ait, *Græca vox διαθήκη generalis est, & omnem dispositionem, omneq; pactum complectitur, quomodo & διατίθεσθαι generatim idem est, qvod disponere* &c. Legi hîc qvoqve merentur verba Joh. Cloppenburgi Theol. Franeqverani disput. IV. de Fœderis N. Testamento th. I. *Vox Testamenti*, ait, Latina non aliâ Græcâ voce qvàm διαθήκη *à Theophilo Antecessore in Justinianeis Institutionibus*, ex Græcorum usu traducitur. Et qvamvis Græca vox ex Scripturæ Sacræ usu, re integra, significet *Fœdus* non *Testamentum*, tamen absq; Latinâ voce *Testamenti*, frustrà Latinè expresseris mentem Apostoli Hebr. IX. 16. 17. qvæ sic rectè expressa est; *Nàm ubi Testamentum est, mors intercedat necesse est Testatoris:*

Testa-

Testamentum in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet, qvum vivit Testator. Vox ergò Græca media est, *Dispositionem* significans, alibi *Fœderis*, hîc *Testamenti.* Hactenus Cloppenburgius. Hoc loco non intelligitur quodcunq; fœdus aut pactum, sed sacrum, divinum, spirituale, â DEO cum Davide sancitum.

XIII. *Nomen* עולם, inquit Rivetus Com. in Ps. XLV. 7. pag. 220. a. tom. II. Oper. *in Scripturâ* diuturnitatem *sonare homini absconditam volunt Hebræi*, â עלם *alam, quod est* latere, abscondere: *Ac nunc* æternitatem infinitam, *qvalis in* DEO *est, sine principio aut fine; nunc* longissimum tempus *significare, ut ab Orbe condito, aut ab alio notabili tempore ad aliud tempus notabile & insigne, ut usq; ad legem, vel Christum, vel mundi consummationem; interdum brevius, ut ad jubilæum usq;, ut Græcum αἰων, quod nunc* ævum, *nunc* æternitatem *etiam sonat.* Seculum *vertunt latinè, quod tamen Latino more non debet sumi pro spatio centum annorum, sed pro tempore diuturno.* Hæc ille. Hieronymus in cap. I. ad Galat. observat, vocem *Olam*, si cum litera ו scribatur, significare æternitatem, si verò sine literâ ו, jubilæi temporis spatium. Verum licet aliquibus Scripturæ locis hæc observatio congruat, tamen non congruit omnibus, sunt enim loca, ubi *Olam* etiam sive *Vau* æternitatem notat, ut Exod. III. 15. & cum *Vau* tempus longum, ut Devt. XV. 17. Hìc pro æternitate sumendum est nomen עולם ut ברית עולם sit *fœdus perpetuitatis, fœdus æternum, nunquam rumpendum* &c. ut ex locis παραλλήλοις postea adducendis patebit.

XIV. De hoc æterno fœdere, qvod DEUS cum Da-

vide inivit, dicitur porrò quod sit עֲרוּכָה בַכֹּל וּשְׁמֻרָה *dispositum in omnibus & custoditum.* Vox עֲרוּכָה sonat ordinatum, sive ritè & ordine dispositum ac constitutum, â radice עָרַךְ *ordinavit, disposuit, instruxit, æstimavit.* Vox verò שְׁמֻרָה significat solicitè & summâ curâ ac circumspectione custoditum & conservatum. שָׁמַר enim est *custodire, servare, conservare, observare,* etiam *tenere, retinere,* quod fit corde, memoriâ &c. indicatq; simul curam, solicitudinem & diligentiam, ne emittatur aut effluat, vel excutiatur, quod observandum & tenendum est. LXX. Senes qvandoq; reddunt per τηρεῖν, Proverb. VIII. 34. I. Samuel. XV. 11. Significat autem τηρεῖν in re quapiam custodiendâ & servanda curiosum & solicitum esse, ne vel amittatur vel ab alijs eripiatur. Sic τηρεῖν τὴν νῆσον apud Platonem in Axiocho est *servare insulam â direptione.* τηρεῖν τὴν εἰρήνην apud Demosth. pro Cor. est *solicitè tueri pacem.* Significat etiam servare & observare, facto & opere implere, præstare, ut quando quis mandata, fœdus vel conditiones fœderis dicitur τηρεῖν. Sic Christus Matth. XIX. 17. τήρησον τὰς ἐντολὰς, *serva mandata,* & Jacobi II. 10. τηρεῖν τὸν νόμον, est *legem servare,* sive *juxta legis præscriptum agere.* Unde etiam τηρεῖν & ποιεῖν in servandis præceptis conjunguntur Matth. XXIII. 3. *Omnia quæcunq; dixerit vobis* τηρεῖν, *servare,* τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε, *servate & facite.* Vide Harmoniæ Evangel. Cotinuat. B. Gerhardi cap. CLXXVI. pag. 1296. Usitatissimè verò per φυλάττειν verbum שָׁמַר â Græcis Interpp. exponitur ut Gen. II. 15. cap. III. 24. Deut. V. 12. שָׁמוֹר *custodi, observa,* LXX. φύλαξαι Hoc sensu verbo custodiendi & servandi usus est DEUS Luc. II. 28. *Beati audientes*

dientes verbum DEI *& Φυλάσσοντες custodientes illud.* Vult ergò dicere Rex David, pactum illud seculi seu sempiternum, quod posuit mihi DEus, non tantum â parte DEI est ritè & ordine constitutum sive ordinatè per omnia sancitum & servatum, wohl geordnet und gehalten ut reddit Lutherus, sed etiam â me magnâ curâ & solicitudine custoditum & conservatum, magni â me æstimatum, in cordis penetrali reconditum & verâ fide amplexatum. Nam fides ad pacta accedat oportet. Propter hoc enim fœdus initur, ut inter partes fœderales fides constet. Hinc Festus: *Fœdus*, inqvit, *appellatum ab eo, quod in paciscendo fœdere hostia necaretur*; Virgilius; *Et cæsa jungebant fœdera porcâ, vel quia in fœdere interponatur* fides. Isidorus Etymol. 18, 1. *Fœdus est pax, quæ fit inter dimicantes, vel â* fide, *vel à fecialibus dictum. Præfertur meritò Etymon, qvod est â* fide, *quia propter hoc initur, ut inter partes* fides *constet*. Unde *& fidus ab Ennio scriptum est.* Fides itaq; est optimus divini fœderis custos, quia non sufficit memoriâ tenere, sed oportet etiam verâ fide illud asservare.

XV. Sequitur in textu: כִּי־כָל־יִשְׁעִי וְכָל־חֵפֶץ *Quoniam cuncta salus mea, & omnis voluntas.* Conjunctio causalis כִּי *quoniam, quod* &c. hoc loco redundare videtur. *Quia omnis salus mea & omnis voluntas* i. e. omne studium meum &c. sic & in sequentibus verbis; *Quia non germinabit*, h. e. (sine causali particulâ) non germinabit, ut observat Dn. D. Glassius, Philol. S. lib. III. Tractatu VII. Canone XVIII. יֶשַׁע & יְשׁוּעָה est *salus*, ex יָשַׁע unde verbum in Hiphil הוֹשִׁיעַ, quod *salvare* & *salvum facere* significat. Inde est nomen יְהוֹשֻׁעַ quod LXX. Interpretes semper transtulerunt Ἰησοῦς, & hunc receptum loquendi modum Evangelistæ &

Apoſtoli in N. T. Græcè ſcribentes ſeqvuti ſunt, hinc quoq; eſt Latinum JESUS, qvod Salvatorem notat. Circumciſum vulgus literam radicalem י ex nomine Salvatoris noſtri tollit atq; exterminat, ne â ſalvandi officio nomen habeat, ſcribunt enim יֵשׁוּ. Vide de his copiosè differentes clariſſimæ & nunquam intermorituræ memoriæ Theologos B. Chemnitium in Harmon. Evangel. cap. IX. pag. 102.103. & D. Jacobum Martini libro III. de Tribus Elohim cap. III. Vocis חֵפֶץ propria ſignificatio eſt, ut *ſummum ſtudium, deſiderium, voluptatem, oblectamentum*, ſive *voluntatem promptam & cum appetitu impenſiori conjunctam* deſignet. Radix ſeu thema eſt, חָפֵץ *voluit, voluptatem habuit, volupe fuit, deamavit, dilexit.* Sic Pſalm. I. 2. Lex DEI חֶפְצוֹ *voluptas ejus.* Lutherus, hat luſt zum Geſetze des HERRN. I Samuel. XV. 22. הַחֵפֶץ *nunquid voluntas Domini,* (Leo Judæ, Num tam volupe eſt Domino) *in holocauſtis.* Econtra quando per negationem removetur ab aliquo תֵּפֶץ, *nauſeam, faſtidium atq; deteſtationem* infert ejusdem, vide Devter. XXI. 14. Ezech. XVIII, 23. & ult. Merentur hic adſcribi verba Eminentiſſimi Theologi Dn. D. Welleri quæ habet in expoſitione Pſal. I. parte I. membro III. חֵפֶץ *notat propriè intimam delectationem & tenerrimum affectum, quo ergà rem amatam ipſa amoris ac miſericordiæ viſcera interna commoventur maximè, qvalis eſt inter ſponſum & ſponſam deamatam Gen. XXXIV. 19. Eſth. II. 14. c. VI. 6. Devt. XXI. 14. Unde per negationem, ſi* חֵפֶץ *removetur ab aliquare*, faſtidium, nauſea ſumma, deteſtatio maxima *indicatur*, Hæc ille. Qvandoq; etiam notat vocabulum חֵפֶץ *rem, negotium, propoſitum*. Hinc B. Lutherus Comm. in

in Noviſs. Verba Davidis Tom. III. Witteb. Latino fol. 115. inquit; *Quod in Ebraico textu legitur Hephez & vulgò redditur voluntas, beneplacitum, ut Pſalm. I.* In lege Domini voluntas ejus, *mihi proprie hoc ſignificare videtur, quod nos ferè dicimus vocabulo, ſtudium, res inſtituta, cui datur opera, in quâ verſamur* &c. Ludovicus de Dieu animadverſ. in Eccleſ. V. 8. עַל הַחֵפֶץ *quidam vertunt* de hac voluntate, *alii de hac re, quod malim, quia præterquam, quod vox ea hac ſignificatione apud Thalmudicos ſit uſitatiſſima, ut ex R. Salomone annotat doct. Mercerus; apud Syros quoq;* צְבוֹתָא voluntas, *pro* re *ac* negotio *tritum eſt.* Sic חֵפֶץ *ſumitur etiam Eccleſ. 3. verſ. 17. & 8. v. 6.*

XVI. יַצְמִיחַ *germinare faciet.* צָמַח *germinavit, ſucrevit, pullulavit, efloruit, fronduit.* Propriè accipitur de arboribus & terrâ naſcentibus, atq; adeò de ſurculis & ſtolonibus dicitur, qui ex præcedaneo ſemine aut radice exſurgunt, ut obſervat jam dictus Ludov. de Dieu animadv. ad Gen. c. II. v. 5. Per translationem verò etiam de aliis rebus uſurpatur. In Hiphil eſt הִצְמִיחַ *fecit germinare*, Jerem. XXXIII. 15. alibi quoque neutraliter pro *florere* & *germinare* accipitur ut Eſa. XLV. v 8. &c. Ex hac radice צֶמַח eſt nomen צֶמַח *Germen*, quo Meſſias, DEI Filius Eſ. IV. 2. Jerem. XXIII. 5. XXXIII. 15. Zach. III. 8. & cap. VI. 12. appellatur. LXX. vertunt ἀνατολὴν, Græci ἀναφύην & βλάστημα. Chaldaicus Paraphraſtes ubi nomen *Zemach* in Hebræo textu extat, reponit nomen *Meſſiæ*, vide loca prædicta Eſ. IV. 2. Jerem. XXXIII. 15. Vocatur autem Meſſias *Zemach* ſive *germen*, tum ratione *filiationis divinæ*, unde dicitur *Zemach Jehovah, Germen Domini* Eſa. IV. 2. ἀνατολὴ

τολὴ ἐξ ὕψους. *germen ex alto* Luc. I. 78. & *germen* absolutè & simpliciter. Zachar. III. 8. VI. 12. tum ratione *filiationis humanæ*, hinc dicitur *germen Davidis*, sive *Zemach Justitiæ Davidi excitandum* Jer. XXIII. 5. XXXIII. 15. *virgula è trunco succiso Isai & surculus è radicibus ejus*, Es. XI. 1. Vide Dn. D. Dorschei Theolog. Zachar. part. II. Disp. V. L. 2. §. 37.

XVII. Et hæc de verborum singulorum significatione atq; usurpatione sufficiant, jam verborum conjunctim sumptorum sensus legitimus ac genuinus eruendus nobis est. Cum verò, ut cuivis patet, hic instituatur παραβολὴ sive comparatio, cujus primum membrum est vers. 4. teste כ similitudinis in וְכָאוֹר *Et sicut lux matutina orietur Sol: mane absq; nubibus â splendore, â pluviâ herba de terrâ*, alterum verò membrum vers. 5. teste כֵּן ἀποδοτικῶς. *Qvia non sic domus mea cum* DEO &c. disquirendum ante omnia est I. Cujus rei illustrandæ gratiâ hoc loco comparatio adhibeatur, sive qvodnam illud sit, ad quod declarandum adducatur similitudo. II. A quibus rebus similitudo petatur. In utroq; interpretes variant sententiis. Quod primum attinet, Chaldæus paraphrastes justis & sanctis, qualis erat David, hæc omnia adaptat, ut supra vidimus. Casparus Sanctius qvoq; Com. in h. l. primo intuitu velle videtur, subjectum, qvod hoc loco similitudine illustratur, esse in genere hominem justum, quando ad hæc verba; *Sicut Lux auroræ oriente Sole* &c. scribit; *Hæc aut de justo intelliguntur, cui Dominus* DEus *est, cujus vita, ut splendet animi donis atq; ornamentis, sic etiam aliis fortunæ bonis & ornamentis cumulatur. Hac porrò similitudine justorum exprimitur tam sanctitas & pu-*

& puritas, quàm qui sanctitati debetur honor & splendor. Sanè de Simone Oniæ filio dicitur Eccles. L. 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ,& quasi luna plena in diebus suis lucet,& quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo DEI. Idem Sacro Davidis Hymnologio sive Psalterio hæc verba accommodat, inquiens; *Videri etiam posset, totum Psalterium suavissimis refertum vaticiniis, duabus hisce similitudinibus expressum. Nam totum stillat cœlesti quodam nectare, totum splendet sicut aurora, quam nulla nubium opacitas obscurat, & non aliter â sitientibus mortalium animis excipitur, quàm cœlestis imber ab agro sitienti. Sanè hoc postremum suæ prophetiæ ac verbis inesse, aut prædicabat, aut optabat Moyses Deuter. XXXII. 2.* Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam & quasi stillæ super gramina. Hæc Sanctius Jesuita, ast postmodum vaticinium hoc de Christo esse affirmat, hancq; sententiam multis declarat.

XVIII. Petrus Ravanellus Bibliothecæ S. pag. 962. in voce *Lux* loco subjecti ponit eos, qui magnâ prosperitate, gloriâ & lætitiâ fruuntur, inquiens; Luci matutinæ, *cum oritur Sol, mane non nubilo (atq; adeò, quæ est jucundissima & expers æstus)* comparantur ii, qui magnâ prosperitate, gloriâ & lætitiâ fruuntur: 2. Samuel. 23. 4. Judæi, qui perpetuam in Tribu Juda & stirpe Davidicâ somniant regni terreni successionem, eòq; omnia vaticinia de regno Davidis stabiliendo accommodant, solum Davidem ejusq; posteritatem hîc intuentur, & peculiarem ac singularem regni illius mundani splendorem hac comparatione significari arbitrantur. Et licet de Messiâ hoc & alia ejusmodi

Vati-

vaticinia interpretentur, tamen ſpe regni carnalis faſcinati, exiſtimant *Meſſiam fore regem terrenum, qui aliorum Monarcharum more in terris regnaturus, omnes gentes debellaturus & Judæos in terram Canaan reducturus ſit, ibiq; omnium rerum affluentiâ & abundantiâ beaturus. Exacto verò longiſſimo vitæ ſpatio atq; imperio, auri, argenti, voluptatumq; abundantiâ ſplendidiſſimo, mortem obiturus, relictis ſucceſſoribus regni in perpetuum*, ut docet Helvicus Tomo IV. Diſputat. Gieſſenſ. diſp. VI. ſive Elencho Judæorum III. de Officio Meſſiæ Regio th. 1. Nonnulli ex Pontificiis itemq; Calvinianis, literaliter de Davide ejusq; poſteritate, quippe quæ diu floruerit in Iſrael, ſive de regno illius temporali, quod ad tempus usq; Chriſti non exciderit é domo David, myſticè verò de Chriſto ejusq; regnò ſpirituali hoc loco agi contendunt. Sic n. Cornelius à Lapide Com. in h. l. *Secundò*, inquit, & melius Chaldæus, Abulenſis & alii, q. d. Sicut lux auroræ rutilat, *ſubaudi, ſic rutilabit regnum meum* (Davidis) *& ut v. 5. ſequitur, domus mea & aliorum juſtorum, erit q; ſplendida, fœcunda & glorioſa inſtar Solis.* Et ſicut pluviis (*irrigata*) germinat herba de terrâ, *ſubaudi, ſic germinabit & fœcunda erit domus & poſteritas mea, ut explicat verſ. ſeq. Ex hoc liquet*, (pergit idem) *Davidem ad literam hîc de ſe ſuâq; ſtirpe loqui, allegoricè verò & præcipuè de Chriſto ex ſtirpe ſuâ naſcituro.* Porrò verba illa, *Nec tanta eſt domus mea* &c. ita exponit; *Ego & domus mea non ſumus tam magni, tantiq; meriti, ut ob illud* DEus *mecum iniret pactum, mihiq; promitteret* domum *i. e. poſteritatem & ſtirpem regiam perpetuandam usq; ad Chriſtum indeq; in æternum.* Idem quoque Cornelius à Lapite II. Samuel. VII. de Chriſto agi concedit,

concedit, sed non in sensu literali, verum allegorico, ac proinde verba illa vers. 12. *Suscitabo semen tuum post te*, de Salomone accipit, inquiens comm. in eum loc. i. e. *Suscitabo Salomonem ad regnum, ut regnet post te*. Occurrit etiam ibi objectioni, *Licet enim*, ait, *Salomon jussu Davidis viventis unctus sit in regem, non tamen plenè regnavit Davide vivo, sed unctus est ad hoc, ut post eum regnaret, eiq; mortuo in regno succederet.* Ludovicus de Dieu animadversionibus in h. l. post adducta verba textus sic mentem suam explanat; *Quum versu primo proposuisset* (David) *excellentem suum statum, tum ob dignitatem regiam, tum ob donum propheticum, utrumq; membrum sequentibus plenius elucidat. Et donum quidem propheticum vers. 2. dignitatem verò regiam reliquis. Et versu quidem tertio declarat, publicâ se DEI sententiâ promulgatum fuisse regem justum ac DEI timentem. vers. autem 4. & 5. prædicat stabilitatem & perpetuitatem regni sui, quam amplificat per comparationem.*

XIX. Ut sententia orthodoxa dilucidetur, dicimus I. *Subjectum, quod hoc loco similitudine illustratur, non est in genere homo justus & sanctus, aut is, qui magnâ prosperitate, gloriâ & lætitiâ fruitur.* Patet hoc ex antecedentium & consequentium accuratâ consideratione. Voluit enim ὑποφωτισμένος David in hac ultimâ suâ confessione testificationem fidei suæ in venturum Messiam relinquere, & sublimitatem gloriæ in domum suam per Messiam conferendæ celebrare, hujusq; regni splendorem ac perpetuitatem vivis quasi coloribus depingere, non hominem justum, sanctum aut felicem describere.

XX. II. dicimus. *Non respicit David in hac com-*

 paratione

paratione se suamq; stirpem ac regnum terrenum, quod ipse ultrò suggerit textus. Nam I. disertè distinguit domum seu familiam suam carnalem, à subjecto similitudinis, quando inquit; *Non sic domus mea cum DEO*, sive ut Piscator exponit, *non ita comparata est domus mea ergà DEum*. Rectè Coccejus Comm. in Amos cap. IX. v. 11. pag. 233. ad verba illa II. Samuel. VII. v. 11. *Domum faciet tibi Dominus*, inquit, *quod ipse David interpretatur* 2. Samuel. XXIII. 5. *non pertinere ad semen sive domum suam* carnalem, *quippe* non rectam cum DEO; *sed ad* fœdus æternum, sibi fixum, expositum inter omnes & servatum, *de salute Davidis & εὐδοκία*. II. Appellat hoc loco Rex David fœdus de perpetuitate regni & throni sui, fœdus æternum, sive profitetur, DEUM, facto fœdere sibi promisisse regnum sempiternum, ut ex locis παραλλήλοις Ps. LXXXIX. II. Samuel. VII. I. Paral. XVII. constat, ast solium regium Davidis qvoad externam speciem & mundanam formam, si non in Sedekia, tempore Captivitatis Babylonicæ (qvæ plurimorum gravissimorum Doctorum, regnum strictè sic dictum à ducatu populi, sive ducali & νομοθετικῇ potestate distinguentium, est sententia, vide Casaubonum Exercit. I. contra Baronium num. II. & III. D. Jacobum Martini Lib. III. de Tribus Elohim cap. 6. & Johan. Cloppenburgium Selectar. Disputat. X. de Schiloh pag. 582.) attamen sub adventum Christi planè defecit & collapsum est. Nam omnis reliqua potestas, quæ erat in populo Judaïco, in magno illo Synedrio LXX. virali, *Sanhedrim*, Judæis adempta est, qvando Herodes Judices omnes Sanhedrim trucidavit ac sustulit, ut autor est Josephus nobilis

bilis suæ gentis historicus lib. XIV. Antiquit. Judaic. cap. 17. quando inquit; *Nam Herodes regnum adeptus omnes illos judices & Regem* (Hyrcanum) *quoq; sustulit excepto uno Samea.* Idem tradit Philo, Judæorum, ut de eo Hieronymus scribit, disertissimus, in libro de Temporibus; *Herodes anno XXX. principatus sui Sanhedrin ex domo David sustulit.* Ac fortassis etiam familia tota descendens de David penitus extirpata & deleta est. Narrat enim Eusebius lib. III. Histor. cap. 11. Vespasianum post vastationem Hierosolymorum mandasse, ut omnes ex Davidis genere prognati diligenter conquirerentur, quò nemo ex illâ regiâ stirpe omninò in posterum supereſſet. Domirianus quoq;, Neronianæ sævitiæ hæres, ut eum appellat Eusebius, inquiri fecit, si qui reliqui essent ex familiâ David, ut illos neci traderet, ut idem tradit Eusebius lib. III. histor. cap. 15. ex Hegesippo, ast inventos eosdem tanquam abjectos & simplices aspernatus liberos dimisit. Trajanum deniq; penitùs excindere conatum Davidis stirpem scribit ex eodem Hegesippo Eusebius lib. III. Histor. cap. 26. Eàq; de causâ & quod Christianus esset, Simeonem Jerosolymitanum Episcopum jussum crucifigi refert sæpius citatus Eusebius in Chron. quia fama erat, ex genere David nasciturum regem, qui cunctis Gentibus imperaret.

XXI. Nec habent Judæi, qvod opponant, præter fabulas *Benjamini Tudelensis* in Itinerario, de suo *Æchmalotarcha* è tribu Juda & domo Davidica in urbe Bagdad, quas confutavit Constantinus L' Empereur in Dissertatione ad Lectorem præmissa Itinerario Benjamini. Attendenda potius hìc est vi veritatis extorta con-

Judæi, qui in Babyloniâ remanserunt, ducẽ sibi præponere soliti sunt, qvem vocabant

ראש גליות Αιχμαλωταρχην, *hoc est*, captivorum principem, *seu caput sive principem captivitatis, & semper ê tribu Juda eum eligebant.* Vide Casaubonum Exercit. I. num. II. p. 14.

ta confessio R. David Kimchi in Hoseæ cap. III. 4. *Et isti sunt*, inquit, *dies exilii, in quo hodiè sumus, nec Regem habemus, nec Principem ex Israel: In potestate siquidem Gentium sumus, & in potestate Regum ac Principum earum.* Cum itaq; cessaverit jamdiu Davidis posterorumq; ejus secundum carnem imperium, imò & ipsa stirps Davidica fortasse funditus extincta sit, ut ex hactenus dictis patet, non potest dici regnum Davidis respectu gubernationis terrenæ, sempiternum, & per consequens in hac comparatione â Davide non intenditur. Disputant quidem nonnulli ex Pontificiis, τὸ sempiternum sive perpetuum in his ultimis verbis Davidis, & II. Samuel. VII. 13. de Salomone posse accipi & de Christo, propriè scil. & integrè de Christo, utpotè cujus thronus absolutè sit sempiternus, per hyperbolen verò de Salomone, cujus thronus respectivè tantum fuerit sempiternus, nimirum respectu suæ gentis duntaxat, qvia scil. semper duravit, qvamdiu duravit Israelis respubl. & regnum. Verum enimverò non intelligitur in locis allegatis perpetuitas vel æternitas respectiva, periodica & limitata, sed absoluta & illimitata, quod ex locis parallelis manifestum est. Dicitur enim hoc regnum non corruptum iri Daniel. VII. 14. & nullum omninò habiturum finem interprete angelo Luc. I. 33. In Epistola ad Hebræos cap. I. v. 8. hæc verba habentur; *Ad filium autem; thronus tuus, ô DEus; in seculum seculi*, quæ verba desumpta sunt ex Psalm. XLV. 7. Phrasis verò illa *in seculum seculi*, significat æternitatem interminabilem & absolutam, ut ipse exponit Estius. Licet itaq; manserit regnum Juda penes Davidis vel Salomonis posteritatem multo tem-

to tempore, videl. usq; ad captivitatem Babylonicam, ac deinceps sub titulo principatus in supremo illo Judæorum consilio, quod Sanhedrim vocabatur, cujusque potestas Regiæ proxima erat, usq; ad Herodem sive donec gens Judaica â Romanis debellata, servitutis jugum subire coacta est, nihil tamen hoc est ad æternitatem regni, quæ locis citatis prædicitur.

XXII. III. dicimus. *De regno planè singulari, spirituali ac divino, quod transactâ demum Carnalis imperii & fœderis periodo incipere, & quod Messias, Davidis filius pariter & Dominus, Christus Jesus, adventu suo erigere atq; in æternum stabilire debuit, propriè ac literaliter hîc agitur, illudq; similitudine â rebus naturalibus ductâ illustratur & declaratur.* Nam I. Ad Christi Jesu cœleste ac divinum solium, mentione æternæ durationis nos Scriptura χειραγωγεῖ, II. Samuel. VII. 13. Ps. LXXXIX. 3. 5. 29. 36. Luc. I. 32, 33. & in his ultimis verbis Davidis, alibiq; passim. Argumentum nostrum est tale: *Ubicunq; agit S. Scriptura,* (verbis utor B. Jacobi Martini Lib. III. de Tribus Elohim cap. XXV. p. 136.) *de stabiliendo, continuando, confirmando, & æternùm duraturo regno Davidis, ibi intelligitur Messias* (non ille, qvem frustra adhuc expectant Judæi, sed qui jamdudum venit, nimirum Jesus Christus, Davidis filius:) *quippe in quo unico & per quem solum hæc propriè fieri & impleri debebant. Atqui in allegatis dictis sacra Scriptura agit de stabiliendo, continuando, confirmando, & æternùm duraturo regno Davidis; Ergò in allegatis dictis intelligitur Messias.* Aeternitas & stabilitas, non carnalia mundi regna sed solum invisibile animorum imperium, quod æternus Messias, Rex nullius successoris, in Ec-

cleſiam ſuam habet, comitatur. Rectè Antonius Hulſius, Eccleſiæ Gallo-Belgicæ, quæ Bredæ eſt, Paſtor & Linguæ S. Profeſſor parte I. Theologiæ Judaicæ de Meſsiâ, pag. 560. ad verba illa Danielis VII. 14. Regnum, quod in ſecula non deſtruetur, inquit; *Realis hujus regni ab aliis differentia non in regione & gente, ſed in ſtabilitate conſiſtit, nihil autem corporale & mundanum elementari cœlo ſuſtentatum ſtabile eſt & æternum. Et hinc Rabbinorum patet futilitas, qui regnum carnale Iſraeliticum per Meſſiam reſtituendum credunt, tale tamen regnũ, quod Daniel hîc deſcribit,* ſtabile *ſcil.* & æternum, *ſibi promittere non audent, ſiquidem extremo DEI judicio denuò deſtruendum agnoſcunt, quâ ratione conſtricti recentiores, temporis etiam ſpatio excluſi, imaginarium ſuum regnum extremo judicio poſtponunt, ut eò ſtabilius ſit,* &c. Optimè Lucas Oſiander, Theologus de Eccleſiâ præclarè meritus ad verba textus noſtri; Nec tanta eſt domus mea, *id eſt,* inqvit; *Ab agnoſco meam familiam & originem eſſe longè tenuiorem & humiliorem, quàm quæ digna ſit, ut* DEus *mihi ex poſteritate meâ æternum Regem Chriſtum promittat; cujus regnum ſpirituale erit & æternum. Regnum enim illud Meſſiæ, de quo mihi locutus eſt Dominus, nullum unquam finem habebit; cum aliàs omnia, licet potentiſſima & celeberrima hujus mundi regna, certas periodos habeant, quibus finitis corruunt. At ꝙ regnum illud Meſſiæ erit* firmum, *hebraicè ordinatum in omnibus, i. e. quanquam in regno Chriſti videantur multæ eſſe confuſiones, dum jam perſecutionibus infeſtatur, jam hæreſibus perturbatur, jam offendiculis deformatur: tamen apparebit tandem ſingularis & admiranda ſapientia DEI, quâ omnia rectiſſimè diſpoſuiſſe agnoſcetur: quod ſcil. nihil*

bil mali permiserit, ex quo non magnum aliquod bonum sit consecutum. Et tametsi Satan regnum illud magnis insultibus cupiat evertere, tamen firmum erit, atq; munitũ &c. *Vocatur pactum æternum*, inqvit h. l. Alphonsus Tostatus, *quia erat de Christo nascituro, cujus regnum erat æternum.* II. Omnis consideratio princeps & potissima fœderis, quod DEUS cum homine pangere dicitur, est spiritualis: adeòq; omnes rerum non spiritualium considerationes in doctrinâ de Fœdere censeri debent tantum accessoriæ ac minus principales, ut rectè docet Johan. Cloppenburgius, Theologus Franeqveranus Disput. I. de Fœdere Operum Veteri cum Adamo primo th. 3. Licet itaq; vigore istius æterni fœderis â DEO cum Davide initi, *domus, regnum & Lucerna David mansit & radiis suis fulsit ac luxit usq; ad Herodem*, ut loqvi amat B. Lutherus in libro de Judæis & eorum mendaciis Tom. VII. Witteb. Lat. fol. 184. tamen hæc temporalis sive terrena regalis solii Davidis prosperitas primariò in hoc fœdere non attenditur, sed potissimùm ac principaliter illa spiritualis gloria & felicitas per Messiam domui David inferenda & æternùm duratura spectatur.

XXIII. Quod alterum concernit, scil. â qvibus rebus petita in nostro textu similitudo sit, censet Ludovicus de Dieu animadv. in h. l. cum tribus rebus naturalibus, Sole vid. Serenitate auroræ & tenerâ herbâ institui comparationem. *Instituitur*, inqvit, *comparatio cum tribus rebus naturalibus, quæ gratissimæ quidem sunt hominibus & insignia beneficia continent, sed non sunt constantes neq; stabiles: nihil est in illis;*

עֲרוּכָה בַכֹּל וּשְׁמֻרָה *ordinatum ubiq; & in suo ordine firmiter custoditum. Nam quod ad Solem attinet, oritur luce matutinâ, sed idem occidit rursus sub vesperam. Deinde, quod attinet serenitatem auroræ, solet ea quidem primo splendoris ortu discutere nubes, sed qvum jam aliquandiu Sol supra horizontem adscendit, redeunt nubes, aut succedunt aliæ, quæ cœlum obscurant & contristant. Tertiò quod ad teneram herbam attinet, quæ per pluviam è terrâ progerminat, læta ea est & utilis, sed quæ tamen subitò flaccescit. Non sic, inquit, est domus mea coram DEO, æternum ea fœdus habet, in quo est aliquid* עֲרוּכָה בַכֹּל וּשְׁמֻרָה *quod ubiq; rectè ordinatum est, & in eo ordine custoditur. Nec obstat, quod jamjam omnem meam salutem & omnem meam voluntatem non faciat progerminare. Etsi mihi meæq; familiæ adversi qvid contingat, manet tamen semper illud, quod in fœdere DEI mecum initum est* עֲרוּכָה וּשְׁמוּרָה. *Observandum autem* (addit idem) *in vers. 4.* ב *illud similitudinis, etsi semel tantum ponatur, tamen* עומד במקום שלשה stat loco trium, *ut loqui solet Kimchius, id est, ter repeti debet, secundum tria comparationis membra.* Hæc ille. Alii similitudinem hìc deductam existimant, â Luce temporis matutini non nebulosi, cujus lumen subinde crescit usq; ad meridiem, ut sensus sit; Splendor & decus regni mei erit simile lumini temporis matutini, orto jam sole, quod paulatim in majorem accrescit claritatem, vide Vatablum in Annotationibus.

XXIV. Nos simplicissimam B. Lutheri sequimur sententiam, juxta quam *Dominationem seu regnum Messiæ, instauraturi ac reddituri justitiam & timorem DEI comparat* David *lætæ & amabili amœnitati Veris, in*

quo post tristem & squalidam faciem diuturnæ hyemis mundo sese rursus aperit & novâ specie recreat omne genus animantium. Sensus itaq; verborum Regii Psaltis Paraphrasticus hic est ; Qvemadmodum hyeme, quando Sol remotius abest, & longius quasi â nobis recessit, squallent agri, horrent prata, arbores sine comâ & succo torpent, glacie, nivibus & pruinis terra præclusa veluti riget, nihil usqvam virens aut florens apparet, & mundus quasi emortuus jacet; Verno verò tempore, qvando Sol propius ad nos accedens manè, cum ante lucem fœcundus imber decidit, discussis nocturnis tenebris jubar & os aureum orbi profert & clarissimè exoritur, universa mundi facies mirum in modum recreatur & velut revivisscit. Florent agri, rident prata & omni herbarum genere quasi vestimento obducuntur, arbores comis coronatæ virent, vernant omnia. Simili modo sese habebit regnum illud Gratiæ, justi illius dominatoris, Messiæ, ex domo meâ secundum carnem oriundi, qui tempus salutare, lætissimum & plenum amœnitatis spiritualis nobis afferet, & jucundissimam lucem adventu suo reducet. Ante enim adventum ejus quasi hyems erit tristis atq; deformis. Mundus totus jacebit in tenebris, quæ longo Cimmerias vincent intervallo, & perfrigidæ noctis densâ caligine premetur. Omnia erunt horrida & squalia. Sed cum visitabit nos Oriens ex alto, Luc. I. 78. cum orietur Sol justitiæ & Salutis Mal. IV, 2. Lux illa mundi Joh. VIII. 12. dispellet horrendas illas nubes & tenebras, admirabili claritate cuncta recreans & exhilarans. Tunc amœnissima Veris erit tēperies! Tunc omnia novo splendore, novâ amplitu-

Tom. III. Witteb. fol. 114.

dine, novâ fœcunditate induentur. Per fœcundam enim Evangelii ſui pluviam tempeſtivè demiſſam, ac radiorum ſuorum immiſſione ac veluti amplexu omnia reddet uberrima, & fœcundiſſima, omnemque terram in flores erumpere coget. Ipſe etiam exoptatiſſimus Sol humanâ carne indutus hominibus appropinquans, illos luce & vitâ ſuâ perfundet, & juſtitiâ ac timore donabit, ut & ipſi tanqvam plantulæ virentes, florentes, fragrantes in ipſo creſcant & fructum ferant.

XXV. Davidem patrem ſequitur filius, Salomon, ipſumq; Meſſiæ adventum in carnem vernis depingit verborum ambagibus Cant. II. 11. 12. & 13. *Jam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, tempus putationis advenit; vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* q. d. jam malaciæ æſtivæ, jam autumni tonitrua, jam hyemalis temporis tempeſtates penitus ceſſerunt, ſolùm vernant veris delitiæ. Jam tempus carpendi legendiq; flores, (ita Nyſſenus hom. V. in Cant. & Pſellus apud Theodoretum) jam turturis vox auditur, ineuntis veris indicium. (Nam *turtur* hirundinum more, teſte Jeremia cap. VIII. v. 7. *hyeme calidiora petit loca, ſub vernum teporem redit, hyeme muta, vere vocalis*, ait Plinius lib. 10. Nat. hiſt. cap. 35. & Cicero lib. 2. de Finibus) &c. Beda in h. l. *Ubi Sol juſtitiæ mundo illuxit, abſcedente mox ac depulsâ priſcâ brumalis infidelitatis perfidiâ flores apparuerunt in terrâ, quia initia jam naſcentis Eccleſiæ in Sanctorum fideli ac piâ devotione claruerunt.* Ambroſius lib. de Iſaac & Anima cap. 4. inqvit; *Ita profectò ante adventum Chriſti*

hyems

byems erat, venit Christus, fecit æstatem; ante omnia erant florum indiga, nuda virtutum, post Christum natum omnia cœperunt novæ gratiæ fœcundari germinibus.

XXVI. Sed redeat oratio illuc, unde divertit. Patet ex hactenus dictis, in comparatione Davidicâ, per *Solem* designari Christum: per *pluviam*, Evangelicam prædicationem: per *herbam*, credentem populum; & deniq; per *terram*, ipsam Ecclesiam, ut exponit Angelomus, Monachus Gallus in h.l. Sol, inquam, Christus est, Ipse enim Lumen appellatur Esa. LX.1. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Lumen, scil. Christus, qui est lux mundi & DEI gloria inquit h. l. Emanuel Sa. Per *lumen* & *gloriam*, intelligit Christi præsentiam, doctrinã, gratiam, & universam gloriam Evangelij, inquit h. l. Menochius & Cornel. â Lapide. Joh. I.9. *Ipse erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*, & cap. VIII.12. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, Malachias *Solem justitiæ* Christum nominat cap. IV.2. *Orietur*, inquit, i.e. manifestabitur 1. per nativitatẽ, doctrinam, opera, passiones, resurrectionem, ascensionem in cœlum, & effusionem Spiritus S. 2. per ablationem veli, in destructione templi, urbis, principũ & sic sublatione servitutis, ut inquit h. l. Coccejus, *vobis* scil. in tenebris sedentibꝰ, *ô timentes nominis mei, Sol* ipse *Justitiæ & sanitas in pennis ejus &c.* Manichæi Solẽ hunc aspectabilem Christum esse putarunt, quos sæpius refellit hoc nomine Augustinus, maximè scribens in Johannem tractat. XXXIV. *Et forte non desit*, inquit, *qui dicat apud semetipsum. Nunquid fortè Dominus Christꝰ*

est sol iste, qui ortu & occasu peragat diem? Nonn. defuerunt hæretici, qui ista senserunt. Manichæi solem istum oculis carneis visibilem, expositum & publicatum non tantum hominibus sed etiam pecoribus ad videndum, Christum Dominum esse putaverunt, &c.

XXVII. Svavis doctrina Christi, sive Evangelii prædicatio imbri comparatur & pluviæ, quæ terram arentem, fructuosam & frugiferam reddit. Esaiæ LV. 10. 11. proutâ Cyrillo ibidem verba Prophetæ explicantur; *Et quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc non revertitur, sed inebriat terram & infundit eam & germinare eam facit, & dat semen serenti & panem comedenti, sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo &c.* Devt. XXXII. 2. optat Moses *stillare doctrinam suam instar pluviæ & eloquia sua velut rorem: ut pluviam super gramē & imbrem super herbam.* Hilarius in explanatione Psal. LXVIII. verba illa vers. 10. *Pluviam largam destillabis hæreditati tuæ* de Evangelii prædicatione intelligit. Psalmo LXXII. 6. *Descendet sicut pluvia super defectum, & sicut imbres irrigatio terræ.* Hìc per pluviam cœlestem nihil aliud intelligitur, quàm doctrina de gratiâ & remissione peccatorum, quæ animos sitientes & exhaustos dolore propter peccata recreat & vivificat. Confer Hoseæ VI. 3. Joel. II. 23. Author imperfecti Operis in Matth. Homil. 20. *Pluvia est doctrina*, inquit, *quia sicut pluvia terram irrigat, ut proferat fructum: sic doctrina hominem irrigat, ut justitiam operetur.*

XXVIII. Qvando igitur Evangelica de gratiâ Christi & gratuitâ peccatorum remissione prædicatio instar pluviæ matutinæ tempestivæ, fœcundæ & irriguæ decidit, & arida nostra pectora humectat, & mox ipse

Sol

Sol justitiæ, Christus Jesus in cordibus nostris per verã fidem exoritur, tum dissipantur nubes Mosaicæ, ut nubes matutina, omnia tonitrua & fulmina legis cessant, omnis timor & tremor propter iram DEI & æternam damnationem evanescit, & cor nostrum per Solem justitiæ illuminatum & imbre cœlestis gratiæ irrigatum lucis ὀpera profert & germina virtutum fructificat. Digna sunt verba B. Lutheri, quibus mentem Prophetæ David explanat, ut hìc adscribantur; Aber hie zu Messia Zeiten (spricht David) wenn der Zur Jsrael selbst herschen wird / mit Gnaden uns gerecht und selig zu machen / wirds so lieblich sein / Als die besten Zeit im Lentzen / da es vor Tages einen lieblichen warmen Regen gethan hat / (das ist / das tröstliche Evangelium geprediget ist) und flugs drauff die Sonne Christus auffgehet in unserm Hertzen / durch rechten Glauben / ohne des Mose Wolcken und donner und blitzen / da wechsts / grünets blühets alles nach und ist der Tag freudenreich und friedenreich / desgleichen das gantze Jahr nicht hatt.

XXIX. Agnoscit porrô & confitetur Regum Optimus David v. 5. summam suam indignitatem, & hanc domus suæ prærogativam (quod scil. DEus factam generi humano promissionem de venturo Salvatore ad prolẽ suam restringere & ex eâ nasci voluerit) nõ meritis suis, sed immensæ ac infinitæ misericordiæ & benignitati DEI totam adscribit, inquiens; *Utiq; non sic est domus mea coram DEO.* Horum verborum eadem est sententia, qvæ II. Samuel. VII. 18. & I. Paralip. XVII. 16. ubi David in secessu animi, excellentiam promissionum divinarum meditatus seipsum ac domus suæ tenuitatem respiciens ait: *Quis ego sum, Domine DEus, &*

& quæ domus mea, ut præstares mihi talia ? Leo Judæ, *quod me tantopere evehis* ? q. d. Certè domus mea non est talis nec tanti, ut apud DEUM tam immenso honore & tanto beneficio digna habeatur, ut ex eâ nascatur Messias, Petra Israelis, justus dominator inter homines. Hoc ergò pactum iniit mecum DEUS ex merâ suâ misericordiâ, gratiâ & liberalitate, quâ me unum ê toto mundo eligere voluit, ut Christi generationi subservirem. B. Lutherus libro de Judæis Tom. VII. Witteb. Lat. fol. 183. ad hæc verba; *Quid est domus mea apud DEum*, inquit; (*Et ut proprius reddam ex Hebræo*;) *Mea domus certê non est tanti, i. e. domus mea non est digna. Nimis magnum & sublime est, quod mihi misero homini Majestas cœlestis, DEus, tanta fecit; Nam fœdus æternum mecum fecit, quod per omnia firmatum, perfectũ, stabile & æternum futurum est.*

XXX. Observandum hîc; uti omnia pacta & fœderales sanctiones fiunt mutuâ partium fœderalium stipulatione de præstandis beneficiis & officiis, præsertim qvando inferior superiori fœderatur, ubi superior poscit & promittit, inferior postulata admittit & promissa acceptat: Ita quoq; fœdera inter summum omnium Monarcham DEum, & homines certâ stipulatione continent inde (DEI) promissiones, hinc (hominum) officia & obsequia, vel potius fiducialem acceptationem illarum promissionum, sive beneficiorum fœderalium. Promittit enim DEUS homini sua bona, inprimis spiritualia & æterna, utpote salutem & vitam æternam, & homo vicissim in DEUM promittentem sanctâ fiduciâ recumbens, fidem suam fœderis testimonio sustentat, alit, confirmat, & DEO benefactori suo obedientiam præstat.

XXXI. Par-

XXXI. Partes hoc loco fœderales sive fœdus contrahentes sunt DEus & David. *DEus*, inquit, *pactum æternum posuit mihi*, vers. 5. Prima & capitalis promissio â DEO Davidi facta habetur II. Samuel. VII. 12. seqq. *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam regnum ejus usq; in sempiternum.* Eadem repetitur I. Paralip. XVII. 11. 12. Etsi Judæi, quibus subscribere videntur Cajetanus, Abulensis, Sanctius, Menochius & alii ex Pontificiis hanc promissionem ad Salomonem detorqvent, qui anno regni sui quarto sumptuosissimum ac magnificentissimum templum Hierosolymæ in monte Moriâ honori immortalis DEI excitavit, tamen pondera verborum convincunt lectorem, ut fateatur eam de Christo & non aliter intelligendam esse. Rectè B. Lutherus commentar. in ult. verba David. Tom. III. Witteb. Latin. fol. 86. ad h. l. *Hæc verba*, inquit, *non possunt de Salomone successore Davidis intelligi, multò minus de alio aliquo filio (aut nepote) Davidis. Sed necesse est hunc esse illum unicum filium Davidis, qui post sceptrum Juda (jam ablatum) venturus erat. Sic cum ait*, Hic ædificabit mihi domum, & ego firmabo solium ejus usq; in æternum. *Hæc domus non potest dici templum ædificatum per Salomonem. Quia paulò superius idem Nathan dixerat ad Davidem*; Tu non ædificabis mihi domum, ad habitandũ. Neq; enim habitavi in aliquâ domo ex eo usq; tempore, quo eduxi filios Israel ex Aegypto. *Et postea ipse Salomon 3. Reg. 8. inquit.* An putas, quod DEus verè habitet super terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, qvantò minus hæc domus, quam ædificavi? *Sed idem multò expressius Esaias cap. 66.* Sic dicit

cit Dominus, Cœlum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Qvæ eſt ergò iſta domus, qvam ædificabitis mihi, & quis eſt iſte locus, in quo requieſcam? Et paulò poſt; *Domus igitur, quam hîc dicitur Meſſias Davidis & DEI filius ædificaturus eſſe, longè alia ſit oportet, major & auguſtior illo Hieroſolymitano templo.-- De hac domo DEO ædificanda Scriptura præcipuè N.T. nos docet, videl. hanc eſſe & adpellari Eccleſiam DEI ſanctam inde usq; ab initio, toto orbe terrarum, quam etiam ait eſſe æternam domum, perpetuò ac ſine fine manſuram & victuram, in qvâ DEus in omnem æternitatem habitet, & tanquam paterfamilias regnet & gubernet.* Hæc ille.

XXXII. Eandem quoq; promisſionem amplisſimè ſvavisſimèq; depingit vatum regumq; ſacrorum maximus David Pſ. LXXXIX. 4. 5. *Pepigi fœdus cũ electo meo, juravi Davidi ſervo meo, Semen tuum in æternũ confirmabo, & ſtabiliam ſolium tuum ad omnem poſteritatem, Sela.* v. 30. *Efficiam ut perpetuum ſit ſemen ejus & ſolium ejus ſicut dies cœli,* v. 34. *Non profanabo pactum meum & quod egreſſum eſt de labiis meis, non mutabo* v. 35. *Semel per ſanctitatem meam juravi, haudquaquam Davidem fefellero, Semen ejus in æternum erit v. 36. Solium ejus coram me ut Sol perſtabit, firmum ut Luna manebit, quæ eſt certus in æthere teſtis.* Pſ. CXXXII. 11. *Juravit Dominus Davidi veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Firmitatem promisſionis juramentũ declarat, ut inquit Euthymius & Nicephorus: hinc Paulus Hebr. VI. 17. *Volens DEus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum.* Jer. XXXIII. inquit Dominus v. 15. *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David germen juſtitiæ &*

faciet

faciet judicium & justitiam in terrâ v. 16. In diebus illis salvabitur Juda & Israel habitabit securè, & hoc est nomẽ, quo vocabunt eum JEHOVA *justitia nostra.* vers. 20. & 21. *Hæc dicit Dominus; Si irritum potest fieri pactum meum cum die & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum Davide servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus.* R. David Kimchi paraphrasticè exponens hæc verba, scribit super Jer. cap. 33. *Omnibus temporibus, quibus erit constans fœdus meum cum cœlo & terrâ & cum die ac nocte, erit etiam constans fœdus meum cum semine Jacobi & Davidis: Cum semine Jacobi ut sit populus, cum semine Davidis, ut sit ex eo Dominator.*

XXXIII. Hæc sunt bona fœderalia, sive promissiones fœderales, â parte DEI Davidi oblatæ, qvarum summa est; *Ex stirpe Davidis mundi Salvatorem nasciturum, ejusq; regnum fore sempiternum.* Promissiones hasce *Misericordias* DEI *fideles* adpellat Esaias cap. LV. 3. LXX. vertunt τὰ ὅσια δαυὶδ τὰ πιστὰ *sancta David fidelia*, i.e. firma & robusta, qvâ verborum formâ citatur hic locus Actor. XIII. 34. Quasi horum observatio ad ipsiusmet DEI sanctitatem, pietatem, religionem & veracitatem pertineat, scil. ut promissa servet & præstet, & fœdera, pacta, juramenta compleat. Firmissimum & immutabile fundamentum divinarum promissionẽ est, qvia DEUS est prima verèq; subsistens veritas, cui fides nostra innititur, quam Paulus ὑπόστασιν definit Hebr. XI. 1. *Tenemus fidelissimũ debitorẽ* DEUM, *quia tenemus misericordissimũ promissorem*, ait Augustinus in Ps. 32. conc. 1.

XXXIV. Ex parte Davidis accessit organon illud, qvod immutabiliter & perpetuò ad fœderationem DEI cum hominib9 reqviritur, utpote vinculum con-

junctionis & unionis, qvo unicè DEO agglutinamur, nempe *Fides*, ſeu fiducialis acceptatio harum promiſſionum: fides amplectens confœderatum & ea, quæ in fœdus adducta ſunt confœderati bona; Fides fiduciam collocans in fœderantis DEI potentiam, promptitudinem, veracitatem, gratiam, ſive certò ſive perſvadens DEum firmiter ſtaturum in icto fœdere & præſtiturũ ea, ad qvæ ſe icto fœdere obligavit. Hac ratione de Abrahamo credentiũ patre dicit Paulus Rõ. IV. 21. πληροφορηθεὶς, *certâ perſuaſione conceptâ*, vel plenisſimè ſciens, *quod quæcunq; promiſit, potens eſt & facere*. Fides itaque vera & ἀνυπόκριτος, quam in illuſtres illas promiſſiones DEI David defixam habuit, una & ſola erat vinculum, quo in fœdus divinum intromiſſus & bonorũ illorum ſpiritualium in fœdere divino promiſſorum particeps factus fuit. Et hinc fœdus illud non tantum vocat *æternum*, i.e. ratum, firmum, certum, ſtabile, munitum, ſive tale quod nunquam ſit futurum irritum iſtâ promiſſione ſancitum, & juramento confirmatũ, ut conſtat ex locis proximè citatis, ex Pſalmis LXXXIX. & CXXXII. verum etiam שְׁמוּרָה *in corde fido cuſtoditum, fide aſſervatum*, ut theſi XIV. diximus.

XXXV. Propterea tamen promiſſio illa facta Davidi, de Meſſiâ ex ſemine ſuo naſcituro, deq; regni ejus perpetuitate, nõ debet accenſeri promiſſionibus conditionalibus, ut per peccata filiorum ejus potuerit irrita fieri, ut volunt Judæi & Judaizantes. Sine ullâ n. cõditione ait David in textu noſtro *Pactũ æternũ poſuit mihi, ritè diſpoſitum & cuſtoditum*. Et verba II. Sam. VII. eorumq; repetitio & plenaria explicatio Pſal. LXXXIX. nullam planè annexam habent conditionem, ἁπλῶς, & categoricè dicit DEus II. Samuel. VII. 16. *Firma erit domus tua &*

re-

regnum tuum in seculum; thronus tuus erit firmus usq; in seculum. & Psal. prædicto v. 28. *In æternum servabo illi misericordiã meam & pactũ meũ firmum erit ipsi.* Adhortatur quidẽ David pater moriturus filiũ Salomonem I. Reg. II. 3. seqq. ad pietatem ergà DEũ & justitiam, *ut præstet JEhova verbum suum* &c. verum ibi non agitur principaliter de duratione universali & totali regni Davidici, hanc enim non conditionaliter sed absolutè DEus promiserat uti dictũ, sed tantũ de speciali regimine & fortuna Salomonis. Rectè B. Jacobus Martini Lib. III. de tribus Elohim cap. LXXXI. *Sic I. Reg. II conditionalis quæ ibi habetur, non ad totam posteritatem est extendẽda: sed est adhortatio Davidis ad filiũ Salomonem specialiter directa, ut sit vir fortis & custodiat præcepta Jehovæ, ut sit ipse in regia sua dignitate & exercitio felix in omnibus, quæ faciet, & in omni loco, quo se vertet, ut etiã in ipso ac per ipsum suscitet Jehova verbum suũ, quod locutus est super David, hoc est, in ipso quoq; Salomone impleatur promissio sibi, Davidi, facta & sic nõ excidatur, vel omninò vel ante tempus ex solio Israel.* Conservare itaq; DEus pactum suum cum Davide initum voluit non sub hac conditione, si nimirum posteri legerent vestigia ejus & præcepta Jehovę servarent, sed in omnẽ eventum, sive boni sive mali futuri essent. Quod iterum verbis jã citati celeberrimi Theologi malo proponere, quàm meis, sic n. ille lib. allegato c. LXXXIII. *Hoc est, quod volumus: eoq; demonstramus, Jehovã, propter vel pietatem vel impietatem Regum & populi Judaici domui Davidis regnum & regem Messiam nequaquam promisisse: ideoq; propter conditionem hanc nihil immutare voluisse: sed potius pactum suum cum Patriarchis initum & fœdus cum David ictum, sive posteri ejus boni sive mali essent, constans & immotum servaturum esse.*

XXXVI. Sed pergat Hebronis Hierosolymorumq; Imperator David; *Quoniam cuncta salus mea, & omnis voluntas, quia non germinare faciet.* Coccejus Com. in Amos c. IX. 11. p. 233. hæc verba ita exponit; *Omnis mea salus & omnis εὐδοκία erit quum non germinabit,* scil. domus mea, h. e. inquit, quum non existet ex illà, *virga ad dominandũ.* Ezech. XIX. 14. Franciscus Vatablus in annotat. & Casparus Sanctius in h. l. supplendum hîc esse dicunt; *Ipse* (DEus,) *est,* nempe, *omnis salus mea.* Ut sensus sit; si quid habeo illustre, si quid ab antiquis familiæ sordibus elevatũ, si vici, si vivo, si aliorum mihi studia conciliavi & gratiã, id totum DEo reddo acceptũ, qui mihi cuncta salus est. *Et omnis voluntas* (supplendum iterum esse, ajunt) *mea ipse est,* ut sensus sit; Totus

ab

ab illo pendeo, illum amo, illi adhærere ſtudeo, ab illo ſpero omnia quia humana omnia ſive promiſſa, ſive auxilia, & fidem habent levẽ, & vim infirmam. Ipſe fecit, ne quid in meâ familiâ eſſet infœcundũ, ne quid â vernali ſpecie & fructuum ubertate vacuum &c. Eodẽ modo Alphonſus Toſtatus, *Cuncta n. ſalus mea* (addit) *ſcil dependet â DEO.* & Jacobus Tirinus Jeſuita; *Cuncta ſalus mea ipſe* (DEUS) *eſt & omnis voluntas mea ipſe eſt, ut non* (ſit) *quicquam, quod nõ germinet, & læta florũ, fructuumq; varietate gaudeat.* Explicationi huic favet LXX. Interpr. verſio; qvæ ita habet; πᾶσα σωτηρία μου καὶ πᾶν θέλημα ἐν κυρίῳ. Cornelius â Lapide in h.l. Cuncta ſalus mea & omnis voluntas, *repete*, inquit, *in omnibus firma eſt & munita; uti præceſſit, aut, impletur & germinat, ut ſequitur* q.d. *Cuncta mihi ad ſalutem proficiunt, omniaq; mihi ad votum & voluntatem, Deo proſperante, ſuccedunt.* Supra citatꝰ Vatablꝰ ad verba illa; *non germinare faciet*, annotat, *non producet i.e. non excitabit ſubintellige, alium regem, qui non ſit de familiâ meâ, q.d in familiâ meâ manebit perpetuò regnum. Doctor inter Hebræos*, (ſubjungit idem Vatablus) *exponit, non erit, ut germen agri, quod evaneſcit, ſed perpetuò regnabit ille, qui eſt ſalus mea & deſideriũ meũ, CHRISTUS, qui de ſemine meo deſcendet.* Juxta ſententiam B. Lutheri hic ſenſus eſt verborum Davidis; *Etſi ego quidẽ in regni mei adminiſtratione multa ſalubriter & ſingulari cum felicitate geſſi, tamen hoc omne decus non ſolũ meæ gubernationis ſed etiã omnium aliorũ regum ac principũ caducum eſt & fragile, & ſi cum regno filii mei, i.e. Meſſiæ ex ſemine meo naſcituri, conferatur, nihil eſt, niſi aridus ramꝰ aut truncus, de quo nunquam germen aliquod aut ſurculus virens excrevit.* Lucas Oſiander ita verba Davidica exponit; Cuncta n. ſalus mea, *ſubaudi*, inquit, *conſiſtit in ſpirituali regno Chriſti, filii mei, olim naſcituri.* Et omnis voluntas, nec eſt quicquã ex eâ, quod non germinet, *Hebr. & totũ deſideriũ, quod non creſcat, id eſt, nihilæquè deſidero, quàm ut liceret videre exorientem illum Solem Juſtitiæ Chriſtum in carne & creſcere regnum illud pacis, quod reficiet conſcientias, amœniſſimum illum paradiſum cæleſtem.* Ach warumb wächſt es doch nicht ſchon? es verlanget mich/ das es nicht gleich itzo wachſen wil. *Summo quippe deſiderio expectabant Patriarchæ adventum Chriſti. &c.* In hac interpretationum varietate illa nobis, utpote textui ſacro magis conſentanea perplacet, quã ex Cõ. B. Lutheri in hæc ultima verba Davidis, modò adſcripſimus, ita tamen ut cæteras interpretationes, utpote analogiæ fidei non minus conſentientes & â textu non adeò recedentes non rejiciamus.

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309
3

Sb.

1

1017

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614268-p0051-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614268-p0052-9

TESTAMENTUM DAVIDICUM,

Sive

ULTIMORUM VERBORUM DAVIDIS

II. Samuelis XXIII. 1. seqq.

SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.

DISPUTATIO III.

Exhibens ἐξήγησιν versiculi 4. & 5.

Quam

In Inclutâ Academiâ VVittebergensi

PRÆSIDE

JOHAN. ANDREA QUENSTEDT
SS. THEOL. D. & Prof. Extr.
Domino Præceptore, Patrono, Philothecarioq; suo sempiternè suspiciendo

In auditorio publico Collegii Veteris
placidæ ventilationi subjicit

Ad diem Novembr. horis matutinis

CHRISTOPHORUS VVEISSIUS
Hollandino-Prutenus.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO cIↃ IↃ CLV.